



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Digres. 31. De actionibus Intellectus, ad tex. com. 150.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

ἕξου inquit τῶν ἀδιεργῶν, seu τῶν νοητῶν; singula impartibilium seu notionum, quas principio nominavit ad simplicem intellectum pertinere. Nec sine causa verbum ordinem mutandum orationemque ita instruendam, τὸ ἕξου τῶν ἕξ, ἄτο ἰ ἕξ, Quod autem singula facit vnum, hoc intellectus; Philoponus monuit: alioqui enim turbata est & obscura nimis.

Apprehensio  
in com-  
positio-  
ne eius-  
dem esse  
virtutis

Quod autem ad sententiam attinet, iure optimo Averroës vitur hoc loco ad convincendum Auēpace, qui componentem virtutem ab imaginatrice, hoc est simplicium formatrice, diuersam esse crediderat. Etenim & Aristoteles intellectum simplicia cognoscentem eorum quoque compositorem esse asserit: & omnino necesse est eum, qui compositus est, ea cognoscere, quae componat: tum vt diuidet, quam apte coniungi possint, quae non possint; quae affirmanda, quae neganda sint; quae componenda, quae diuidenda. Tum verò vt adhibeat inter ea copulam, nexum, & vnionem, quae compositionis est forma. exemplo communis sensus Averroës vitur, quem in superioribus demonstratum est exteriorum particularium sensuum cognoscere oportere obiecta, si ea diuidicare & eadem aut diuersa pronuntiare debeat. Etsi enim non omni ex parte similis sit communis sensus, atque intellectus operatio; eatenus tamen efficax est argumentum, quatenus extrema cognoscere necesse est, quae aut diuidenda aut componenda & vnenda sunt.

Quod verò Philoponus sapientiam admiratur Philoponus, quae intellectum non dixerit intelligere, sed facere vnum: eam scilicet ob causam, quia vt in quod est, omnibus esse impertit; & pulchrum dat pulchris vt pulchra sint; ita & intellectus ob suam simplicitatem & vnitatem, quae sunt composita, facit simplicia. Mihi quidem certè haud tantopere mirandum videtur. Tum quia vt intellectus aliam non habet actionem, quam intellectioem; sic ipse facere, aliud non est, quam intelligere: perindeque fuit dicere facere, ac si dixisset intelligere. Tum quia ipsemet Philoponus intellectum & dianam distinguit; compositionemque non intellectus, sed dianam, quae vnitatem illam non habet, esse iam posuit. Tum demum quia haec intellectus compositio etsi vnitatem quandam habet à copula, compositio tamen est pluriumque simplicium notionum complexus; & ideo veritatem habet aut falsitatem affirmationis aut negationis; hocque magnopere à simplici & impartibili intellectioe distinguitur. Quod igitur facere dixit Philoponus, operationem eam significat, quae plura colligit, copulat atque vnit; facitque vnum, non simplex, sed compositum. Quemadmodum enim natura ex materia & forma facere vnum dicitur, non simplex, sed compositum; ita & intellectus affirmatur ex duplici notionem simplici vnum quidpiam intelligendo efficere. Vnus namque intelligendi actus est compositio, tam ratione apprehensionis, quam ratione iudicii. Etsi enim plures simplices antecedant notionem, eae tamē vnico actu coniunguntur & iudicantur, neque iudicatoria haec vnico, nisi vnico actu constare potest. Proptereaque interdum etsi notionem simplices apprehenderimus, nondum tamen propositionem intelligimus; quod actus desit, quo illae coniungantur, atque vt vnum intelligantur, simulque de illis iudicetur: sed antea cognoscebatur vt vnum,

post ad modum vnus coniuncti intelligentur. Quae coniunctionem exprimit copula in propositione vocali, quae simplices terminos coniungendo fit ex pluribus partibus oratio vna. Argumento sit sensus, qui vnico actu plura simul obiecta sensibilia comprehendit, aspectus plures colores, & auditus plures sonos; dum ille p̄ct̄ ur̄a intuetur quāpiam, hic harmoniam audit; & communis sensus obiecta plura diiudicat. At intellectus melior facultas est atque ad agendum potentior. Quare etsi plures simul nequeat intellectiones producere, quod determinata habeat formam & naturam: quā ob causam in 2. lib. Topic. inquit Philoponus, scire plura contingit, non autem intelligere; possunt inquam plures habitus esse simul, at non plures actus: vnica tamen intellectioe potest plura complecti atque in vnū colligere; sitque per se, vt plura simul obijciuntur phantasmata. Vbi verò simplicia intelliguntur, momentanea est operatio; etsi aliquo post tempore prorogari queat. Nam & obiectum est impartibile; & aspectus in lib. de sensu & sensibili, & communis sensus in tex. 14. 6. 1. 2. huius operis momento operari dicuntur. At vbi haec componuntur, aut ex vno aliud deducitur; sanè intercedit tempus, dum ex vno ad aliud, ex subiecto ad attributum, ex causa ad effectum intellectus transit. Verum si communis sensus iudicium de pluribus sensibilibus momentaneum est; cur non intellectus quoque iudicium de compositione, tum de rationationis conclusione fuerit? Porro quod attinet ad illud verbum (facit) si vlla sit in co-vis, ea fortasse fuerit, vt propterea dixerit potius facere, quam intelligere; quod tum in simplici apprehensione, tum in compositione sit sanè agere & pati; agere iudicando & producendo intellectioem; pati autem, illam velut intellectus rei speciem suscipiendo; at in simplici apprehensione pati potius videatur, quam agere dum rei speciem format; in compositione vero magis agat, quam patiatur; dum plura coniungit aut diuidit, aut ex vno aliud ratiocinatur. Sed de his iam pluribus est differendum.

Digestio. xxxi. De actionibus intellectus.

In intellectioe, quae propria est intellectus functione, duo cernuntur; essentia eius, & modus. Essentia duobus perficitur. Alterum est perfectum apprehensio, quae rem intellectui praesentem facit; eiusque vis maxima consistit in euidencia & claritate; vt res, quemadmodum est, clarè repraesentetur. Alterum est assensus & iudicium; quo firmiter intellectus apprehensae rei assentitur, atque ita esse vt repraesentatur; atque eius maxima virtus est certitudo & firmitas, ne facile diuelli possit. Modus autem intellectiois nil aliud est, quam certa quaedam apprehendendi & iudicandi ratio. Haec vero triplex est. Nam vel intellectus intuitu simplici percipit rem vt est; sicut oculus intuetur colorē, hominem inquam aut animal sensum, nihil affirmando aut negando: tuncque firmiter illi statim adhaeret. Vel eam non satis penetrat; illique simpliciter apprehensae attribuit aliquid oportet, quod in ea sit; aut aliquid de ea neget, quod ei non insit. Ita compositio fit aut diuisio: vt cum homini apprehensio attribuitur esse animal, aut is negatur esse lapis. Quod si intellectus rem ita esse cognoscit vt dicit; perfectam sanè cognitionem habet. Sin autem non cognoscat, tunc ostendere oportet id inesse rei, quod illi attribuitur; aut non inesse id, quod de ea negatur: hocque per

Diuidendum

per aliquid aliud, quod inesse nouerit, aut non inesse. Hominem enim animal esse ostēdet, quod sentiens sit, omneque, quod sentit, sit animal: aut non esse lapidem, quia sentiat, nullusque lapis sensu præditus sit. Atque hic est tertius intellectio- nis modus, qui ratiocinatione constat, ignotū quid piā ex alio noto colligens inesse alteri. Suntque tres omnino intelligēdi modi, tresque intellectus actio- nes, quibus ad rerum cognitionem venimus; sim- plicium apprehensio, compositio aut diuisio, ac demum ratiocinatio.

Plures non esse

Plures non esse, consentiunt omnes: tū quia vbi ad ratiocinationē ventū est, qua certū probatum sit inesse aut non inesse; non est quō progrediari ulterius, quōd perfectam rei cognitionem obti- neris. Tum quia experitur vnusquisque ad hac tria reuocari quæcumque agitāt mente. Aut enim rem apprehendit, aut illi quidpiam attribuit, aut aliquid de ea probando ostendit. Tum demum argu- mento sermonis, qui signū eorū est, quæ sunt in mente. In eo namque primū est simplex vox simpli- cem notionē significans, vt homo: deinde oratio affirmans quidpiam aut negans, compositio- nis ac diuisio- nis mentis interpres; vt homo est senti- tius: ac demū oratio probans aliquid de aliquo- ignotumque ex noto deducens; vt homo est len- tiens, ergo est animal. Sic. n. animi nostri ratiocina- tiones alijs exponimus. Simplicis apprehensio- nis munus est notionem seu conceptionē rei simpliciē formare; quam & nos voce simplici promimus, & is format, qui eam audit. Compositio- nis autē & diuisio- nis est attribuire quidpiam rei conceptæ, aut cum illa coniungendo, aut auferendo ab ea & separando. Ratiocinationis denique propriū fue- rit, siue coniungēdo siue separādo, ex aliquo noto aliquid aliud de proposita re colligere.

Num es- sentia di- stinguū- tur.

At magna contentione certatur, num earū nume- rus minor esse possit, anque essentia omnes distin- guantur. Sunt enim qui omnium idem obiectum esse dicant, dum secunda id ipsum cōponit, quod in prima seorsim fuerat apprehensum; & tertia id, quod erat in 2. diuisum; neque diuisum esse aut coniunctum essentia differunt. Quōd si apprehē- sio spectetur & iudicium circa res eas simpli- ces aut compositas; primam quidem & secundam essentia differre; quōd aliud sit simpliciter homi- nem apprehendere, aliud eum iudicare sentientē esse. At tertiā à secunda non item; neque aliud esse, quā eandem ipsam duplicatam. Et Philo- sophus in tex. 21. non nisi duas cōmemorauit; im- partibilium intellectio- nem, atque compositionē. Credendū tamē est tertiā quoque essentia distin- guā secunda. Nam quod ad obiectū spectat, sunt sanē res eadē, quæ actionibus illis omnibus cog- noscuntur; si materialiter, & vt res quædam sunt, considerantur. At formaliter diuersæ sunt; dum aut singulæ accipiuntur, aut vna cum alia componitur, aut ex vna tandem nota alterius cog- nitio aut probatio deducitur. Obiecta verō for- malia actionib⁹, immō & facultatibus distinguen- dis sufficiunt. Quoad ipsius verō actionis essentia; siue in ea consideretur apprehensio & cognitio rei; siue assensus & iudicium queratur; tres omnino distinctæ actiones erunt. Quippe aliam prorsus esse rei simplicis apprehensionem & cognitio- nem, aliā compositæ, fatētur omnes: multoq; ma- gis ea diuersa est, qua deductio vnus ex aliopluri- umque rerum connexio cognoscitur. Nam si distin-

**A**ctus cognitionis actus esse conceditur rerum an- tea cognitarum coniunctionē cognoscere; mul- tō magis distinctus esse videtur nouæ cognitionis comparatio; quæ antea penitus ignota, innox fuit ex priori cognitione deducta. Assensus quoque & iu- diciū diuersa sunt. Aliud est nāq; simplici essentia apprehensione assentiri; aliud duorum termino- rum antea cognitorum connexioni; aliud illatio- ni atque ignoti alterius ex antea notis deductio- ni. Primum iudicium prorsus est simplex; Alterū compositū, sed ab eaque deductione vnus ex alio. Tertium deductionem habet, qua intellectus cō- clusionem ex præmissis, consequens ex antecedēti & ignoti cognitionē ex cognitione noti iudicat necessariō colligi. Atque vt alia est attributi cum subiecto coniunctio, alia conclusionis cum præmissis, consequens cum antecedenti, atque ignoti cum aliquo noto, aut etiam maioris, mino- risque extremitatum cum medio termino: sic alius profectō est in secunda tertiaque actione assensus, aliud iudicium. Quocirca si duas simul propositiones vnires, & vniciuque præberes as- sensum, nec tamen termini medij cum duabus extremitatibus connexionem animaduertes; nihil omnino colligeres neque vlla esset operatio tertia. Ita igitur ex parte cognitionis, assensus, & iudicij, in quibus actionum harum natura con- sistit, eas omnes essentia distingui demonstratur. Ex parte autē modi operādi, ex dictis res est manifesta.

**B** Quod si Aristoteles duas solas commemorauit: aut famosiores duntaxat quasdam, non omnes actionum differentias indicare voluisse responde- bit Auerroës. Aut propterea id factū est, quōd non tam vellet eo loco perfectæ actiones omnes in- tellectus distinguere; quā docere in quam earum falsitas esset aut non esset: & quoniam in prima non est, sed in secunda; duas hasce com- memorauit. Præsertim cum veritas aut falsitas in compositione maximē attributi & subiecti ap- pareat, dum alicui quidpiam attribuitur, quod in- sistit illi aut non in- sistit. Aut postremō ampliori acceptione compositionem dixit, quæ tum in attributi & subiecti, tum in antecedentis & consequentis, propositionis & conclusionis, com- positionem subdiuiditur.

**C** Quod si Aristoteles duas solas commemorauit: aut famosiores duntaxat quasdam, non omnes actionum differentias indicare voluisse responde- bit Auerroës. Aut propterea id factū est, quōd non tam vellet eo loco perfectæ actiones omnes in- tellectus distinguere; quā docere in quam earum falsitas esset aut non esset: & quoniam in prima non est, sed in secunda; duas hasce com- memorauit. Præsertim cum veritas aut falsitas in compositione maximē attributi & subiecti ap- pareat, dum alicui quidpiam attribuitur, quod in- sistit illi aut non in- sistit. Aut postremō ampliori acceptione compositionem dixit, quæ tum in attributi & subiecti, tum in antecedentis & consequentis, propositionis & conclusionis, com- positionem subdiuiditur.

**D** At enim quid est causa, cur tam multæ sint huma- næ mētis actiones: An imbecillitas illius & imper- fectio: Si enim apprehensione simplici perfectam rei posset notionem formare, quæ contineret quidquid in ipsa est re; esset omnino perfecta cognitio, neque alia opus esset operatione: quæ admodum Deus mentesque separata simplici so- lum vtuntur intuitu, quōd eo cognoscant quid- quid in re cognosci potest. At quoniam paucis- sima sunt, quæ statim à nobis ita cognoscantur; quod dā intellect⁹ noster sequitur sensus, qui sola percipiunt accidentia; non nisi rudē & cōfusū cōce- ptū formare potest. Propterea cogimur alijs actio- nibus vtī, quibus & res plures componamus, & ex vna deducamus aliam, & cum ea coniunctam esse probemus. Ex quo manifestum est scientiam omnem nostram ab hac maximē tertia operatio- ne pendere; nobisque conuenientissimum intel- ligendi modum hunc esse, qui ratiocinando fit.

Quæ est vna ne- cessitas.

**E** Omnium tamen nobilissima est prima. Nam etsi cæteras antecedit, quia vt cōponas necesse est res antea simplices apprehendas, quas deinde compo- nas; compositis que vtaris, vt ex vna deducas alia;

Quæ omnium nobiliss- sima.

quam ob causam inquirunt plerique primam esse propter secundam & utramque propter tertiam. Verius tamen utraque est propter primam; ideoque componimus & ratiocinamur, ut assequamur tandem perfecteque quidquid est in re apprehendamus. Argumento est, quod antequam definitionem instruas, utendum tibi est compositionibus multis, diuisionibus, & ratiocinationibus; cum tamē ad primam actionem definitio spectet. Quocirca si quando apprehensione prima perfecte quidpiam apprehendimus, in ea sola sistimus actione; neque compositione aut ratiocinatione utimur; quemadmodū Deus & Angeli, qui optimum habent intelligendi modū solaque prima illa actione utuntur. Ceteris nos illam iuauimus intellectiōneque nostrā imperfectionem subleuamus. Ut verē dici possit, apprehensionem illam, quæ ad compositionem ratiocinationemque refertur, valdē imperfectam esse; primamque operationem imperfectam antecedere alias atque ad alias ordinari; eandem tamen perfectam & absolutam finem & vltimū illarū esse; velut omnī præstantissimam, in qua diuinum & angelicum intelligendi modum imitamur. Nam & Aristoteles in 3. Topic. lib. cap. 2. id esse nobilius affirmavit, quod nobilissimo magis est simile. Et l. 5. Metaph. cap. de priori, id est: prius, quod primo propinquum est. Quippe primum in vnoquoque genere ex lib. 2. tex. 4. cæterorum mensura est; & tex. 85. 1. libri de anima, rectum sui & obliqui regula. Et si enim secunda tertiaque actiones diuinæ nos faciant intellectiōne similes in obiecto, dum naturam & proprietates cognoscimus; prima tamen cognitiōnis & intellectiōnis similitudinem habet; quoniam simplex est & ad modum intuitus, quemadmodum illa. Certissimum quoque principium est, facultates actionibus, actionesque obiectis distinguere; & in moralibus item virtutum habitus actionibus & obiectis separantur, & suum quilibet gradum habet. Primæ autem actionis nobilius obiectum est, dum per eam solam mens nostra cui usque rei essentiam apprehēdit. Et si enim ut essentia partes genus & differentiam inuenias, compositione ac ratiocinatione utaris; vbi tamē inuenta illa fuerint, eam esse essentiam & quiditatem in prima operatione ex vi proprii luminis cū quodā etiā iudicio & assensu simplici apprehēdis. Quod si in secunda hominem dicas animal rationis particeps; non de nouo essentiam hominis cognoscis; sed compositionem illam, essentiam cognitam inesse homini; quæ compositio definitionis est & rei definitæ; essentia & eius quod essentiam habet. Minus etiam in actione tertia cognoscitur essentia ut essentia est; sed vel ut est proprietatis causa, si sit subiecti essentia; vel ut alicui subiecto conuenit, si demonstranda proprietatis essentia fuerit. Ergo essentiam ipsam puram & sinceram, ut essentia est, non nisi in operatione prima contuemur: quoniam hac ratione considerata simplex quidpiam est, quod non nisi simplicis operationis obiectum esse potest; ut nec actio simplex, nisi simplex obiectum cognoscit.

Modus quoque operandi multo melior est in hac ipsa, quam in cæteris, actione; ac præsertim in tertia, pro qua potissimum pugnant nonnulli. Etenim tertia hæc cum motu coniuncta est: quippe ratiocinatio nil aliud, quam motum quandam mentis ex vno in aliud progredientis, significat. Pri-

ma verò illa est sine motu, firma & immobilis ad hæsiō, ad modum intuitus, quo immobiliter obiectum cum mente iungitur. Quam ob causam maiorem angeli, quam nos, euidentiā perfectioremque scientiam habent: non modo quod perfectius habeant intellectiū lumen; verum etiam quod hac sola cognitiōne utantur, quam immobiliter cognita rei adherent: indeque sanctus Thomas in 1. parte. quest. 64. tantum in demōnibus pertinaciam deduxit; et si alia alijs magis probentur causæ. Atqui motum imperfectiōnem significare Philosophus docuit in tex. 49. libri 3. Phys. nec deseruerunt eiusdem testimoniū in tex. 12. qui iudicarent esse non ens. Contra in quiete potius animi perfectiōnem & scientiæ acquisitionem posuit in tex. 20. libri 7. eiusdem operis. Pulchrè verò & ad rem Themistius in 1. lib. de Anima cap. 26. disputans num intelligere nobilius sit, quam cognoscere, intelligere exponit simplicem apprehensionis primæ actionem significare, cognoscere autem cæterarum compositionem ac ratiocinationem: omninoque constituit intelligere actionemque primam multo præstabiliorē esse. Tum quia in cæteris modo veritas sit, modo falsitas; in illa veritas duntaxat; ut hoc loco Philosophus quoque prodidit: quod aut rem apprehendamus quemadmodum est, aut penitus ignoremus. Tum quia intelligere primæ actionis sit quasi amplecti & attingere rem ipsam; quam intelligimus; cognoscere verò secundæ & tertiæ veluti circuire, lustrare, circumspicere, nec tamen ad eam accedere: quod vocet ipse apprehensionis & ratiocinationis seu dilectiōnis indicare videntur, & aptissimè Maximus Tyrinus in serm. 1. Diuina, inquit, mens instar solis vnico simul intuitu quidquid in terra est perspicit. Humana verò pro more viatorum non nisi longissima mora ac diuersis temporibus vniuersi partes cognitiōne percurrit. Neque enim à cæteris pendet hæc actio prima, siue obiectum siue certitudinem spectes: nisi fortasse instrumentariè, dum illis ad comparanda sibi & inuenienda necessaria virtutem quemadmodum & intellectus pendet à sensu; & demonstratio ex causis à demonstratiōne ex effectis, scientiæque omnes à logica: cum tamen intellectus sensu, & demonstratiōne ex causis demonstratiōne ex effectis, & scientiæ omnes logica præstabiliore sint ac meliore. Ita sanè prima quoque hæc actio reliquis præstat; habetque propriam libi certitudinem, non aliunde, nisi in choatiuè ortam; firmam atque immobilem adhesionem illam, de qua dictum est. Itaque duo planè licet concludere. Alterum, quantopere cæteris præstet prima hæc operatio. Nam si, ut est in tex. 1. libri primæ huius operis, & cap. 2. libri 8. Topic. vna cognitiō aut scientia præstat alteri, vel quod obiectum sit melius, vel quod certitudo maior; ea est utroque nomine longè superior.

Alterum, definitionem quoque demonstratiōni præferendam esse. Et si enim de simplici definitio, ut est demonstratiōnis medium, de tertiore videatur conditionis esse; quod illius pars sit, atque ad eam, ut medium ad finem parque ad totum, referatur. Si tamen consideretur ut essentia & quiditatis rei cuiusque cognoscendæ instrumentum existit; omnibus profecto demonstratiōnibus anteponeatur. Et enim obiecto præstat, cognoscendi modo, ac sine. Cum

Cum namque instrumenta hæc cognoscendi ad perficiendas mentis nostræ operationes circa propria earum objecta comparentur; præstabilius illud iudicandum est, quod præstabilius objecti perfectiorem cognitionem nobilioris operationis efficiet. Definitio substantiæ seu essentiæ cognitionem adfert, demonstratio accidentium siue proprietatum: quæ tamen igitur essentia proprietatibus & accidentibus substantia præstat, tantum demonstrationis definitio præstabit. Quod illud spectat, quod legimus in tex. 3. libri 3. Metaph. & tex. 4. libri 7. Magis nos scire cum scimus quid est homo, quam cum scimus qualis sit aut quantus. Et illud in primo de partibus animalium capite 5. Melius esse de diuinis ac præstantissimis rebus vel probabilem cognitionem habere, quam de caducis demonstrationem.

Maiorem verò illius quoque certitudinem esse, eadem primum argumenta demonstrant, quibus maior primæ operationis demonstrata est certitudo. Deinde illud accedit, quod a conclusionis demonstratione certitudo ex præmissarum certitudine ducitur: ac in illis est definitio vel demonstrationis mediæ conclusionis continens causam. Quare si sapienter Aristoteles in priore libro de analysi posteriore tex. 5 demonstrationis principia notiora & certiora conclusione probauit esse oportere, quoniam conclusioni propter principia assentimur; definitio quoque multò fuerit demonstratione certior. Siquidem ea est per se certa; velut in demonstrabile, & carens causa principium demonstratio ex definitione probationem ac certitudinem accipit. Et in tex. 6. eiusdem libri & tex. 17. libri posterioris, habitus principiorum nobilissimum dicitur esse scientiæ genus; quoniam ex se certitudinem habet, demonstrationisque scientiæ principium est. At per similes illi est definitionis scientia. Denique definitio scientiam parit per formalem causam ut est formalis: demonstratio aut per alias causas; aut si per formalem, non ut formalis, sed ut causa est. In ipsismet verò demonstrationibus certiores ac iudicantur, quæ sunt per formalem causam, quia hæc maximè certa & intima causa. Neque prætermittendum est, definitionem esse veluti cognitionis omnis nostræ finem & ultimum, in quo tandem intellectus quiescit, perfectè comprehendens & intuens essentiam post proprietatum cognitionem. Ut hanc ob causam Aristoteles in 2. de posteriori resolutione libro de illa post demonstrationem in priore tractationem dixerit. Quoniam alia non sunt eius rei cause: præsertim quod de illa etiam ut est demonstrationis medium dicere oportet: quare cum hæc tractatio post demonstrationis cognitionem esse deberet, totam simul definitionis tractationem coniungere libuit.

Verum hæc pluribus persequi alterius est loci. Ad hunc duo pertinet explicare, quæ in superioribus verbis indicauit Philosophus. Alterum, quo modo in his actionibus veritas aut falsitas reperitur. Alterum, quæ sit propria singularum vis & natura.

Atque ut à communissimis exordiar, veritate & vniuersè considerata, conformitas est rei ad sua falsitate principia; falsitas autem difformitas & discrepan-

tia. Estque multiplex veritas. Transcendens vna, quæ in rebus ipsis continetur velut entis affectio: quæ res vnaqueque dicitur vera, quod conformis sit diuinæ ideæ, à qua habet id quod est. Ex qua conformitate similitudinis relatio sequitur rei ad ideam: quæ relatio realis est: quippe mensurabilis ad mensuram relatio iudicatur esse realis in tex. 10. libri 5. Metaph. hæcque relatio conformitatis ad intellectum diuinum formalis ratio est, cur creata omnia entia sint vera. Per similes huic est ea veritas, quæ in rebus arte factis cernitur, atque in similitudine cum artificis idea seu exemplari, cuius imitatione factum est opus, agnoscitur. Nam ut diuinus intellectus rerum omnium, quæ natura constant, mensura est; sic intellectus practicus artificis idea & exemplar, artificiarum rerum mensura sunt. Altero modo sumitur veritas ut est in cognoscente ac præsertim in intellectu; conformitatemque significat cognoscentis cum re cognita: eandemque ob causam relationem realem mensurabilis ad mensuram. Mensura igitur & causa veritatis huiusce res ipsæ sunt. Neque enim tunc res sunt veræ, quando sunt quemadmodum cognoscuntur (hoc enim esset cum sophista Protagora ineptire, ut in comment. ad relationis categoriam testatur Ammonius) sed contra tunc verè nos cognoscimus, cum ut res sunt, cognoscimus; si quidem cognitio nostra rerum causa non est quemadmodum diuina; sed contra ex rebus ipsis potius hauritur. Quemadmodum igitur res ut vera sit, diuinum debet in intellectum imitari; sic nostra cognitio tunc demum existimabitur esse vera, si fuerit rebus conformis. Huc Platonis illud spectat in Theæteto intellectum cognitione rerum imbutum persimilem esse picturæ: & peripateticum illud in tex. 14. superius explicatum, eum antequam quidquam intelligat veluti tabellam esse, in qua nihil est scriptum (licet nunc pictum dicere. Picturæ autem propriè est rem eam, cuius pictura est, referre ad viuam. Tam eadem veritas, quæ tanquam causa & fundamento cognitio rebus tribuitur, eodem modo in ipsa cognoscente facultate inest; si ut res quædam est, quæ cognosci potest, consideretur: immò & in ipsamet cognitione. At si cognitio, ut est cognitio, spectetur; ea nimirum est, quæ formaliter dicitur vera. In facultate autem cognoscente ut est cognoscentis, veritas inest tunc ut in subiecto cognitionis illius, quæ formaliter dicitur vera: tum ut in efficiente causa; si quidem ea ipsa est, quæ verè cognoscit, veramque cognitionem promit.

Cæterum duplex est veritas. Vna simplex, in rerum simplicium cognitione, si eo modo, quo sunt, cognoscantur. Hæcque non solum in primæ mentis functione agnoscitur in tex. 26. & in 9. lib. Metaph. tex. 22. sed in sensus quoque cognitione; tum in eodem tex. 26. tum in tex. 152. libri 2. quoniam facultas vtraque suum obiectum, ut est, apprehendit. Nec modo in apprehensione simplici versatur hæc veritas, sed & in assensu quodam ac iudicio simplici; quo tum sensus iudicat hoc esse album, illud nigrum; tum intellectus hanc aut illam cuiusque rei naturam. Altera coniuncta; quæ affirmationem habet aut negationem vnius de alio; conformitatemque significat connexionis illius attributi & subiecti, quæ sit ab

QQQQ iij

Chr in 2  
Voforio  
in actur  
de finit  
none.

Veritas  
duplex.

intellectu, cum ea compositione reali duarum naturarum, quæ est in re; vt propterea intellectus inesse aut non inesse vnum alteri dicat, quod re ipsa insit aut non insit. Veritas hæc, quæ est in cognoscente vt in dicente veritatem, solius est intellectus, non sensus: neque primæ operationis, sed secundæ, vt est in libro de interpret: cap. 1. quoniam in prima neque compositio est, neque diuisio. Neq illius simplici veritati opponitur falsitas, sed ignorantia: & in tex. 21. in impartibilium intellectu dicebatur non esse fallum. Quoniã vel intellectus apprehendit rem vt est, conformis scilicet illi & verus, vel omnino non apprehendit, & idè ignorat. Quia rem impartibile partim apprehendere & partim non apprehendere nequit. Quod si genus apprehendat & non differentiam; non essentiali se essentiali gradum apprehendit; eumque verè apprehendit, alterum ignorat. Chymeram item & id quod non est, apprehendit interdum: at quia non apprehendit vt quid ipsius rei, non est à re difformis nec falsus. Et rursus quia nõ dicit chymera esse, non est ab ipsius chymera natura in hac apprehensione difformis; & idè nec falsus: immò verus, eam vt est apprehendens, nempe vt fictitium quidpiam non in natura coherens. Falsitas igitur veritati compositæ aduersatur. Quoniã vt dici potest rem esse vt est, eique attribui aliquid quod insit, aut non esse vt nõ est, & negari quidpiã quod non insit: ita dicere licet eam esse vel non esse, secus quàm sit vel non sit; alioque modo affirmari aut negari de illa, quàm ei conveniat. Quare cum veritas propriè videatur esse illa, cui opponitur falsitas; non nisi in secundæ mentis functione propriè videtur esse. Atque in ea mendacium esse potest, non in prima: verissimeque dictum est in tex. 18. libri 2. Phys: abstrahentium non esse mendacium. Hocque differt falsitas à mendacio, quod falsitas est ex parte rei, mendacium vt nomen ipsum significat, ex parte intellectus dicentis. Si enim intellectus rem secus intelligat, quàm sit; nimirum fallitur: si verò ita esse pronuntiet, secusque habere cognoscat, mentitur. Quod si ita esse putet & non sit, non mentitur, sed falsum dicit. Quare cum prima operatio non dicat nec affirmet quidquam aut neget, sed hoc ad secundam pertineat; ad secundam profectò, non ad primam, mendacium spectat, falsum, atque ad eò error. Quocirca nec prima illa propriè indiget directione ad vitandam falsitatem aut errorem; sed subsidio potius & ope ad ignorantiam tollendam. In secunda verò cum falsitas & mendacium esse possint, opus omnino est directione.

*Falsitas  
Comen-  
daci-  
um  
quid dicit  
ferant.*

Quæ fuit causa, cur in logicis Aristoteles de prima tradiderit per pauca; nimirum in libro de interpret. per eam simplices formari notiones, quibus in voce respondent nomen & verbum, quæ simplices termini sunt: & in secundo lib. de posteriore analysi, quis sit modus inueniendæ definitionis. Plurima verò de secunda, modum explicando coniungendi attributum & subiectum in propositionibus, & figurarum modos, & alia omnia, quæ tum in genere, tum in specie ad ratiocinationes pertinent.

Sed omitendum hoc loco non est, dupli-

cem adhuc esse secundæ operationis veritatem: alteram de re vera, alteram de falsa. Vt enim illam verum est esse veram, ita hanc verum est esse falsam, non veram. Quia tamen scientia est de aliquo positio, non de negatio; primam potissimum veritatem scientiam omnes de siderant, cum falsitas veritatis quædam priuatio sit.

Porro præter hos omnes modos hæc enus commemoratos, quibus veritas est in intellectu, alius quidam est obiectiue, tanquam in cognoscente veritatem; dum sua interdum propositionis veritatem contemplatur. Denique sunt qui addunt etiam esse representando. Nam cum intellectus habet in se similitudinem rei, si ea sit vera & conformis, dicitur ipse veram illius rei, cuius similitudo est, representationem habere. Atque de veritate & falsitate hæc enus.

Iam de singulis actionibus hæc dicendum. Prima proprium maximè est simplicem reitionem formare, nihil affirmare aut negando; solumque apprehendere quid res vnaqueque sit, absque proprietatum & adiutorum cognitione: cum assensu tamen & iudicio simplici. Modus autem operandi est intuitu simplici & inspectione essentiali, absque compositione vlla vel diuisione, affirmatione aut negatione. Quare propter intellectiõnem dicitur apprehensio; propter motum, simplex apprehensio. Cum hac autè simplici apprehensione simplicisque notionis formatione abstractio semper coniuncta est; quæ vna res ab altera separatur, seorsimque cognoscatur, non cognita alia, quæ cum ea coniuncta sit. Non quod prius tempore abstractio fiat, deindeque simplex notio formetur: sed quod dum intellectus simplicem format notionem naturæ rei per se considerat, eam ab alijs omnibus abstrahit. Vt enim sensus colorem pomi cernens non percepto sapore alijsque, quæ cum eo coniuncta, sunt; abstrahere ab illis colorem dicitur; neque aliud est hæc abstractio, quàm vnus cognitio sine alijs. Ita intellectus essentiali comprehendens illiusque solius sine alijs proprietatibus & accidētibus adiunctis notionem formans, abstrahit illam atque ab alijs separatur: neque hæc abstractio aliud significat, quàm actionem illã, quæ solius essentiali absque adiunctis ceteris notio simplex formatur. Eadè namque hæc actio, tunc notionis seu cõceptus formatio & cognitio vocatur, vt rei comprehensio est; tunc abstractio, vt est vnus rei sine alijs perceptio. Itaque cum duplex fieri possit separatio; vna superioris ab inferioribus, vt humana naturæ ab hominibus singulis: altera formæ à subiecto, in quo est; vt nobilitatis ab homine, coloris à pomo; duplex quoque abstractio existit; vniuersalis vna, altera formalis: vtraque primæ huius actionis mentis, cuius est abstrahere, hoc est vnum sine adiunctis alijs cognoscere.

Ergo prima hac actione quid res sit quo modo concipimus. Id verò duobus modis habere potest. Aut enim perfectè & exquiritè naturam totam & singulas eius partes distinctè comprehendimus: aut obscuram duntaxat notionem quandam formamus, in qua confusè & indistinctè continentur omnia, quæ insunt in re. Et quoniam hæc actio imperfectissima in nobis est, posteriorem

posteriorem hanc notionem plerumque formamus; qua cum confuse plura contineantur, altera mentis functione distinguenda sunt singula, & verò etiam tertia, si opus sit, probanda. Sed cum nihil componi aut attribui possit, quod non antea fuerit apprehensum; simplicia primùm attributa cognoscere oportet, quæ apprehensa mox componantur.

*Duo simplicia attributa sunt genera.*

De re igitur, cuius naturam querimus, quædam affirmando dici possunt, vt homo est animal; eaque omnia, quæ illi insunt: alia negando, vt homo non est lapis; ac cætera, quæ non insunt. Vnde simplicium attributorum duo existunt genera; vnum affirmantium, alterum negantium. Affirmantia sunt, tum ea, quæ rei essentiam constituent; tum accidentia velut illius ornatus. Essentia res omnes partim conueniunt, partim discrepant. Quare duo sunt, quæ illam constituunt; alterum illi commune cum cæteris, vt in homine esse ens, substantiam, corpus, viuens, animal: alterum illius proprium, esse rationale. Ita tria existunt affirmantia attributa essentialia, genus, differentia, & definitio genere constans & differentia: quorum duo priora omnino simplicia sunt, tertium vocibus saltem videtur esse compositum, dum duplici voce exponitur, animal rationale. Accidentia item duplicis generis sunt: aut propria, quæ consequuntur essentiam, vni que tantum rei conueniunt; vt hominem esse risibilem: aut communia, quæ accedunt extrinsecus & pluribus insunt; vt esse album. Vnde alia duo affirmantia attributa habentur, sed accidentaria: vnum vnius rei proprium, alterum commune cum cæteris. Suntque omnino quinque affirmantium attributorum genera, quæ de re vnaquaque concipiuntur: ea Porphyrius in sua quinque vocum explicatione pulchre comprehendit: nam quod ad speciem attinet, si ea spectetur in mente, ipsa est speciei essentia mente concepta, quæ Porphyrio secundum est attributum, vt de singulis dici potest: vt autem in voce consideratur, attributum est compositum. Negantia verò attributa, quæ omnia ea continent, quæ rei non insunt, ex affirmantibus colliguntur: quidquid enim est præter illa, negans fuerit attributum. Ex quibus omnibus ampla prorsus compositionis & diuisionis materia operationi secundæ suppeditatur. Nam affirmantia componet, negantia diuidet; vt cognitio omnibus, quæ insunt rei, vel non insunt; & si opus sit, operatione tertia probatis propriam tandem & distinctam formemus notionem, qua quid res sit comprehendamus.

*De secundam operationem compositionis & diuisionis.*

Ad secundam igitur operationem compositio spectat vel diuisio simplicium duarum notionum in prima apprehensarum, quarum vna vel componendo vel diuidendo dicitur de altera: componendo inquam ea, quæ insunt; diuidendo, quæ non insunt. Et quoniam ad hoc concurrunt tum intellectus componens & diuidens vt efficiens causa; tum notiones, res, ac voces, quæ componi videntur & diuidi: de his fuit olim inter peripateticos disputatum; vt videre est apud Dexippum, Ammonium, & Simplicium, dum illam exponunt diuisionem eorum, quæ dicuntur, quam Aristoteles categoriarum libro preposuit. Sed duobus modis compositio hæc & diuisio consideratur. Primùm vt actiones intellectus sunt: atque ita ipsæmet notiones simplices actione prima formatæ compo-

nuntur & diuiduntur: non vt res quædam sunt, sed vt rerum conceptarum similitudines. Quare res ipsæ quoque componi dicuntur & diuidi, tanquam eorum significata, quæ verè propriè componuntur, & diuiduntur: & voces quoque in enuntiatione vocali tanquam illorum signa. Altero modo compositio & diuisio considerari possunt, vt rei cuiuspiam cognitiones quædam sunt: vt inquam componere nil aliud est, quàm cognoscere aliquid inesse alicui; & diuidere, cognoscere non inesse. Quo modo propriè componuntur & diuiduntur res ipsæ, non notiones, aut voces. Tum quia intellectus in his cognitionibus fertur in res, non in notiones aut voces. Tum quia si compositio notionum esset aut vocum, falsa esset omnis compositio: siquidem falsum est notionem aut vocem hominis esse notionem aut vocem animalis. Quoniam non componuntur & diuiduntur vt re ipsa existunt: quoniam ita singulæ sunt, quodque in compositione & diuisione dicitur, est ferè vniuersa natura: & in propositione quoque duorum distinctio & eorumdem compositio requiritur; quæ non nisi per intellectum est. Componuntur ergo & diuiduntur vt mentis cognitioni subsunt. Nam etsi aliqua distinctio necessaria sit; quia si non essent duo, nulla fieret compositio nec diuisio: intellectus tamen distinctio satis est, quemadmodum compositio & diuisio est intellectus: vt licet vna & eadem sit res, pluribus tamen modis concipiatur; vt videre est in genere, differentia, specie, & indiuiduo, quæ sunt idem re: at in rebus ipsis fundamentum existit distinctionis graduum & attributionis, quam perfectura est mens. Itaque in re cognita duo spectabis: tum rem ipsam, quæ cognoscitur: tum illud esse cognitum & abstractum, esse conceptum, esseque distinctum vnum ab alio. Ab horum enim altero res habet, vt verè componi queat & diuidi; idque est, quod re ipsa attribuitur. Alterum autem conditio quædam est necessaria, vt re ipsa componi, diuidi, & attribui possit. Dum tamen res cognite verè & formaliter componuntur, diuiduntur; & attribuuntur; notiones quoque componi, diuidi, & attribui dicuntur, quatenus representant res, earumque interuentu res ipsæ cognite componuntur, diuiduntur, & attribuuntur: at voces demum ipsæ, vt easdem significant.

*Quales res componenda aut diuidenda.*

Porro inter notiones componendas aliquam oportet habitudinem esse, propter quam coniungantur: siue ea sit superioris & inferioris, siue totius & partis, siue identitatis, siue inharrentiæ, siue alia quæuis: siue repugnantia, ob quam diuidenda sint, aut habitudinis saltem defectus. Atque habitudo eiusmodi sit, præsertim si fuerit inharrentiæ, vt notio vna suscipientis subiecti vim habeat, altera aduenientis & inexistens formæ. Sic enim fiet, vt vna possit attribui alteri mentis que cum ea componi, sicut re ipsa composita est. Vbi verò hæc ita habeant, actus accedit intellectus; qui primùm notiones eas ita esse inter se affectas cognoscit, indicatque coniungi posse, aut componendo, aut diuidendo. Deinde actu coniungit, affirmando aut negando: etsi utrumque simul fiat, vnicuique sit actus qui quoad intellectus substantiam assensus est & iudicium, quo vna notio iungatur alteri; quoad modum verò compositio dicitur aut diuisio.

Secunda operatio- nis forma.

Ex quibus omnibus sex prorsus intelliguntur. A Primum, huius operationis formam coniunctionem esse illa duorum (sive componendo fiat, sive separando) cum assensu & iudicio. Eamque à prima distingui, non modò forma & intellectio- nis ratione, sed materia quoque & re intellecta: cum obiectum eius non sint simplices (hæ namque materia remota sunt) sed illarum con- iunctio, seu ipsamet res inter se compositæ aut diuise.

Enun- tiatio vocalis.

Alterû; in enuntiatione vocali, quæ mentalis huius compositionis aut diuisionis interpres est, duos primum requiri simplices terminos, qui duas res simplices componendas vel diuidendas significant. Deindè verò copulam quoque, qua intellectus coniunctio significetur, in qua assen- sus est & iudicium. Quam quoniam aptissimè indicat verbum (est); sic, vt alia omnes enun- tiationes in enuntiatione ex verbo, est, constantè dissoluantur: illudque solum in enuntiatione po- situm compositionem significat & aientis intel- lectus iudicium: postumque cum negatione di- uisionem indicat & iudicium negans. Et quoniam hæc copula coniunctionis illius signum existit, quæ secundæ huius operationis est forma, habet in enuntiatione vocali vim formæ, compara- tione attributi & subiecti velut materiæ.

Enun- tiatio secun- dæ ter- tiæ ad- iacentis.

Tertium; nullam enuntiationem sine subiecto, attributo, & copula esse posse. Quoniam cum sit compositio duo adesse oportet, quæ compo- nantur; & aliquid aliud, quo coniungantur. Quoniam in enuntiationibus quæ secundæ ad- iacentis vocantur, adiectiua verba tum attribu- tum continent, tum vim copulæ: & ipsum quo- que verbum (est) quando existentiam significat; vt in hac enuntiatione, Socrates est. Nomen enim subiectum significat; & verbum tum copulæ vim habet; vt est verbum, nota eorum, quæ de altero dicuntur; vt definitur in libro de Inter- pret. cap. 3. tum attributi, vt est tale verbum, quod propriam habeat significationem, quæ no- mine explicetur. Quare enuntiationes eiusmodi dissoluantur in alias, in quibus sit verbum (est) vt copulæ; & participium verbi, vt nomen & attributum. Namque in enuntiationibus hæc tertij adiacentis tria illa magis distincta cernun- tur. Et diuisio illa enuntiationis in enuntiationem secundæ & tertij adiacentis non est nisi enun- tiationis vocalis: quippè in mente omnis enun- tiatio, vel etiam secundæ adiacentis, tria illa distin- cta habet, subiectum, attributum, & copulam.

Verbum non est pars enun- tiationis.

Quartum; copulam tamen seu verbum vt co- pulæ vim habet, vocalis enuntiationis partem non esse, in quam enuntiatio dissoluatur. Tum quia signum est actionis intellectus componen- tis, neque actio ea pars est, in quam compositio mentalis dissoluatur. Dissoluitur enim in simpli- ces notiones, quæ fuerunt compositæ. Tum quia compositionem significat, quam sine extre- mis non licet intelligere. Tum etiam quia omnis dissolutio in partes materiales propriè fit; quod & in naturalibus & in artificialibus inductione per- spicuum est: & in ea, quæ manent; non manet autem copula, neque materialis pars est; sed attributum solum & subiectum. Et in pri- mo libro de priorè resolutione capite primo ter- minum definiuit philosophus, in quem dissolui- tur propositio, vt attributum & subiectum.

Quintum; non in aiente modò enuntiatione sed in negante quoque compositionem esse. Quoniam hæc compositio aut intellectus com- paratione spectatur, aut comparatione rerum. Si comparatione intellectus consideretur, in omni enuntiatione compositio est; nimirum duarum notionum coniunctio, quæ enuntiationis est forma: neque potest intellectus affirmare quid- quam aut negare de alio, nisi ea comparando & idè componendo, sive tanquam vnum alteri inexistens, sive tanquam ab eo diuersum. Nam in enuntiatione aiente, Homo est animal, compo- nit hominem & animal; atque in negante, Homo non est lapis, componit hominè & non esse lapidem. Quod si compositio spectetur ex parte rerum, vt inhaerentiam significat attri- buti in subiecto, solum est in enuntiatione aien- te: in negante autem non est compositio, sed di- uisio. Quia in aiente significatur vnum inesse al- teri, in negante non inesse, sed diuisum & sepa- ratum ab eo esse. Quare aientis enuntiatio est com- positio, tum ex parte intellectus, tum ex parte rerum: negans verò compositio est ex parte intel- lectus, & diuisio ex parte rerum.

Cæterum addidit quoque philosophus in ter- 22. tum negationem tum affirmationem posse diuisionem dici; quia semper intellectus in hac secunda actione duas distinguit notiones, duosq; seorsim considerat. Ex parte tamen rerum compositio est in affirmatione, diuisioque in nega- tione. Porrò hanc duplicem compositionem, quam dixi ex parte intellectus & rerum, signifi- care videtur verbum, est. Nam vt existentiam significat, compositionem ostendit ex parte rerum; inhaerentiam inquam & coniunctionem attributi cum subiecto: vt autem est verbum & copula, compositionem indicat ex parte intel- lectus. Quare cum in enuntiatione negante adda- tur ei negatio, prima tollitur compositio quæ realis est inhaerentia; non altera, quæ est per intel- lectum. Quoniam negatio præposita verbo pro- priam illius significationem tollit; non eam, quæ verbum est: & idè inhaerentiam seu actu- lem existentiam tollit; non copulæ vim, quam habet vt verbum est. Alioqui enuntiatio negans nullo modo enuntiatio esset; quia copulam non haberet. De cæteris quoque verbis dicendum idem videtur. Quippè in hac enuntiatione, ho- mo non scribit, negatio propriam tollit verbis huius significationem, quæ scribendi actionem significat: vim tamen verbi non tollit, quæ po- test enuntiationem efficere, vt eorum, quæ de al- tero dicuntur, nota.

Sextò & vltimò ex his omnibus secundæ huius operationis vis & natura cognoscitur. Verlatur enim in compositione, assensu, & iudicio connexionis duorum; vt intellectus cognoscat & iudicet ita esse vel non esse in re. Compositio tamen & iudicium non sunt duo actus, sed vnus & idem essentialiter est iudicium & quoad modum compositio. Compositio nam- que dicitur, vt vnum coniungit cum altero; & iudicium, vt ita coniungit vt ita esse aut non esse cognoscat. Et vt non coniungit, nisi cognos- cendo; ita nec iudicium quidquam est à cogni- tione & conjunctione diuersum. Quò sit, vt nul- la sit enuntiatio sine aliquo assensu & iudicio: enuntiationeque manifestè falsæ, aut quæ ter- minis

DIGITALE

minis non significantibus constant, omony-

De va-  
tucina-  
tione.

Ratio-  
cinatio  
cur si-  
cat.

Ratio-  
cinatio  
nis par-  
tes.

Simile  
in natu-  
ra &  
arte.

me, non proprie enuntiationes dicuntur: Quo-  
niam in illis non est per se assensus; sed simi-  
litudines earum sunt, quae verè enuntiationes  
sunt atque intellectus assensum habent.  
Post secundam vero operationem notionumq;  
simplicium compositionem in enuntiatione, se-  
quitur ipsarum enuntiationum compositio: vt  
sicut secunda operatio notionum simplices apprehen-  
sas in prima per verbum componit, vnam  
alteri attribuendo, vel vnam de altera negando;  
sic tertia enuntiationes in secunda formatas con-  
iungat illatione, vnu ex altero deducendo. Qua-  
re operatio hac ratiocinatio vocatur, seu dif-  
curfus; hoc est mentis motus quidam ex vna re in  
aliam, quo ex aliquo iam noto ignotum aliquid  
deducatur; ignotum inquam eo saltem modo, quo  
deducitur. Ex quo intelligas primò cognitione  
nouam nouumque assensum ac iudicium in hac  
operatione inesse præter cognitionem & iudiciu  
duarum priorum. Secundò, in ratiocinatione tria  
considerari; rem aliquam iam notam, & aliam  
ignotam, quæ ex priori cognoscitur, ac demum  
productionem deductionemque posterioris cog-  
nitionis ex priore. Ex quibus tres quasi ratioci-  
nationis partes existunt: quarum primam, qua id,  
quod est notum, continetur, antecedens nomi-  
namus; siue vna siue pluribus enuntiationibus  
explicetur: propterea quòd præmittitur & tan-  
quam notum ponitur, vt aliud ex eo cognosca-  
tur. Altera; quæ id habet, quod ignotum erat,  
atque ex noto illo cognoscitur, consequens di-  
citur, quod ex priore deducatur eamque conse-  
quatur. Tertia, in qua viget deductio ipsa & pro-  
ductio vnius cognitionis ex alia, illatio seu con-  
sequutio vocatur; & particula, ergo, seu igitur,  
explicatur. Postrema hæc maxime vim totam &  
naturam ratiocinationis continet. Nam si prio-  
res duæ per se, & sine hac tertia considerentur,  
enuntiationes quædam sunt, quæ ad secundam  
operationem pertinent: ratiocinatio autem; vt  
operatio est ab aliis distincta, in illatione illa con-  
sistit & deductione vnius ex alio nouæ que cog-  
nitionis productione. Siquidem ratiocinatio eius-  
modi mentis motum ex vna re ad aliam progredi-  
entis significat. Quare vt in productionibus re-  
rum natura & arte constanti materia quæpiam  
est, ex qua naturale agens aut artifex nouu quid-  
piam efficiant: sic in ratiocinatione notum ali-  
quid velut materia ponitur, ex qua intellectus  
virtute cognitio noua producat. Vtrum id,  
quod in natura producat, ex materie subiectæ  
potestate educitur; quodque efficitur arte, in  
materia saltem illius capace suscipitur: at intel-  
lectus noua cognitio non ex antecedentis reit  
iam nota, sed ipsius potius intellectus potestate  
educitur. Est enim immanens actio, quam ex ip-  
so educi & in iplo suscipi oportet. Obiectiue ta-  
men ex rei quoque notæ potestat & educi dicitur;  
dum ex intellectu educitur, vt antecedente illa  
cognitione imbutus est illiq; iam assensum præ-  
buit.

Cæterum vt neque in natura neque in arte sit  
quodlibet ex quolibet, sed ex determinata ma-  
teria vnum quodque: sic in intellectu satis non  
est quodlibet notum ad cognitionem quamlibet  
deducendam; sed determinatum esse debet, vt

aliquid aliud determinatum colligatur. Nimi-  
rum inter ea necesse est aliquem esse nexum &  
affinitatē; ob quam ex vno in aliud deducatur.  
Hancque nexum vniuersè & in cõmuni necesse  
est nobis esse notum, vt illius virtute vnum ex  
alio colligamus. Vbi verò hæc omnia ita se ha-  
buerint, poterit optimè intellectus ex nota read  
ignotam cum ea connexam progredi: vt scili-  
cet illius nexum, quem vniuersè notu ad res duas  
sibi propositas applicat. Exemplo sit risibilitatis  
deductio ex rationalitate, aut animalitatis ex  
humanitate. Intellectui namque notum est rati-  
onalem esse hominem, simulque cognoscens  
nexum causæ & effectus, essentia & proprie-  
tatis, cum applicat rationali & risibili, illud ani-  
maduertens esse essentiam, hoc proprietatem;  
illud causam, hoc effectum: atque ex eo, quòd  
homo sit rationalis, risibilem esse concludit. No-  
uit item nexu inter superiora & inferiora, vt hæc  
sine illis consistere nequeant. Quare animal in-  
telligens esse superius & hominem inferius; id,  
quod est homo, colligit animal quoque esse.

Ratio-  
cinatio-  
nis par-  
tium ne-  
xus.

Ratioc-  
natio-  
nis vis &  
motus.

Tota igitur ratiocinandi vis alicui vniuersæ in-  
nititur cognitioni nobis euidenti; in qua duo-  
rum nexum quispiam continetur, propter quem  
vnum ex altero deduci possit. Et quoniam vni-  
uersa hæc cognitio continet infinita propemodum  
particularia; qui eam habet, infinita pene  
nouit. At non nisi vniuersè; est que opus particu-  
laribus singulis nexum illum applicare, vt specia-  
lis singulorum cognitio habeatur. Quocirca an-  
tequam ignotum colligatur ex noto, illud partim  
est notum, partim ignotum: notum vniuersè  
& potestate, ignotum in specie & actu. Qua-  
re cum actu deducitur ex noto, partim de nouo  
cognoscitur, nempe in specie; partim nequa-  
quam, hoc est vniuersè. Cùm autem rudes om-  
niumque scientiarum ignari nascamur, scientias  
omnes nobis facile comparamus. Quædam enim  
sunt prima principia quasi scientiarum omnium  
& cognitionum semina, quæ intellectui proposita  
seipsis euadunt notissima; vt quodlibet est vel  
non est; De quolibet verum est affirmare vel ne-  
gare; Totum est maius sua parte. Quæ cùm com-  
munissima sint, sub se continent infinita & infi-  
nitis possunt applicari; iisque cognitio infinita  
propemodum vniuersè & potestate cognoscimus.  
Tum verò accedente sensuum cognitione  
singulis applicantur, & in specie quoque, actu, &  
distinctè cognoscimus. Ita ex initiis, quantitate  
& numero paruis, sed virtute maximis, disciplinae  
omnes & artes prodierunt.

Cæterum in hac intellectus ratiocinatione duo  
etiam atque etiam consideranda sunt. Primum,  
antecedentis & consequentis dispositio; vt hoc  
ex illo deducatur. Alterum, ipsa nouæ cognitio-  
nis ex antecedenti deductio, in qua præsertim ter-  
tiæ huius operationis consistit forma. Perfecta-  
que censetur deductio, si ex antecedenti colli-  
gatur id, quod est cum eo connexum, quodque  
verè ex eo sequitur: vt antecedentis veritas cau-  
sa sit cur consequens sit verum. Quemadmodum  
esse animal est sensus causa: quare, cùm verum  
sit, hominem esse animal, verum item est, sen-  
tientem eum esse; neque consequentis opposi-  
tum potest vnquam cum antecedente illo consi-  
stere, nempe non sentiens cum animali. Quòd si

Ante-  
ceden-  
tis &  
conse-  
quentis  
disposi-  
tio.

consequens deducatur cum antecedente non connexum, quodque non propterea sit verum, quia antecedens sit verum; vitiosa deductio, seu consequutio fuerit; etsi consequens & id, quod deducitur, esset verum: vt si ita ratiocineris; homo est animal, igitur est rationalis. Quamuis enim hoc sit verum; rationalis tamen non est, quia sit animal. Quare consequentis huius oppositum potest simul cum antecedente illo esse verum; vt patet in equo, qui animal est irrationale.

*Antecedens & consequens dispositio duplex.*

Dispositio autem antecedentis & consequentis, qua vnum ex alio colligitur, duobus modis fiet. Aut enim ipsamet connexionem exprimet, cuius virtute vnum ex alio consequitur; vt animal est sentiens, homo est animal, igitur est sentiens. Quippe ex ipsa propositionum dispositione principium illud apparet, cui tota innitur ratiocinatio. Illud autem est, quod conuenit superiori aut attributo, conuenit quoque inferiori aut subiecto, cui superius illud vel attributum inest; totaque apparet connexio. Quare non in rebus modo, sed in propositionum quoque dispositione connexio est, ob quam ex vno aliud deducitur. Aut eiusmodi erit dispositio, vt connexio illa non appareat: vt homo est animal, ergo est sentiens. Non enim apparet principium illud, cui ratiocinatio innitur: neque connexio ipsa, sentiens inesse homini, quia inest animali, quod inest homini. Itaque in his connexio tota est in rebus, non in dispositione: & vt magis appareat, posteriorem hanc ratiocinationis formam ad priorem reuocamus. Illa enim ratiocinatio perfecta est, hanc imperfecta & truncata, quæ enthymema vocatur.

*Deductio materialis & formalis.*

Cumque intellectus vnum ex alio deducat vt connexionis illius, posterior dicitur materialis deductio, seu ratiocinatio; quia connexio, cui ea innitur, rerum est duntaxat, quæ ratiocinationis materia sunt, soliusque illius connexionis beneficio deductio est bona. Prior autem formalis, quod connexio non solum est in rebus, sed in ipsa quoque dispositione: intellectusque deducit non modo, quod res connexæ sint, sed etiam quod propositionum dispositio connexionem rerum referat & exprimat; & deductio tum ratione rerum, tum ratione dispositionis, quæ ad ratiocinationis formam spectat, est bona. Quocirca si rebus hæc dispositio applicetur, quæ connexionem eam habeat, quam dispositio proponit, perfectissima erit deductio semperque vera, tum ratione materia, id est rerum; tum ratione formæ, hoc est dispositionis propositionum. Sin autem ea non adsit rerum connexio; ratione formæ deductio erit, non ratione materia. Etsi enim res connexæ non sint, si tamen intellectus connexionem esse existimet, atque vt connexionem accipiat, quemadmodum in dispositione explicatur, perinde vnum ex alio deducet dispositioni illi innixus. Verum hæc deductio, quæ solum vim habet ex intellectu dispositione, non ex rebus, imago potius ratiocinationis quædam videtur, quam ratiocinatio vera: deque hæc & altera illa, quæ connexioni etiam rerum innitur, omonymè seu ad vnum ratiocinatio dici videtur. Neque enim ratiocinationis forma est sola propositionum dispositio, vt multi loquuntur: sed multo magis ipsa deductio, quæ tum ex dispositione oritur, tum maximè ex rerum connexione. Quare cen-

*Ratiocinatio formalis.*

senda nunquam est ratiocinatio formalis, nisi aut ea connexæ sint aut connexæ esse existimetur. Neque intellectus quidquam vnquam ex falso cognito deducit; sed ex vero semper; aut certe ex eo, quod verum esse creditur. Et ex antecedente quidem, quod & sit & cognoscatur esse verum, si apta dispositio sit, verum semper deducitur, tum propter rerum nexum, tum propter dispositionem. Propter rerum quidem nexum; quia si bona fuerit dispositio & Antecedens verum, cum vero nunquam est connexum nisi verum; falsum enim est non ens & per intellectum duntaxat. Quare si ex vero vi connexionis aliquid deducatur, non nisi verum deducetur. Propter dispositionem verò; quia recta dispositio significat nexum, qui est in rebus: quodque cum vero connexum est, verum est. Quod si dispositio sit bona, & tamen falsum id, quod deducitur, necesse est aut antecedens aut aliquid eius esse falsum. Quod sit, vt si antecedens admittatur vt verum, negari non possit id, quod ex eo deducitur. Sed si hoc videatur falsum, & opportuna tamen sit dispositio; negandum erit aut distinguendum aliquid in antecedente: quoniam falsum non nisi ex falso sequitur. Ex eo tamen, si verum esse credatur, sequitur etiam interdum verum; tum propter rerum connexionem; vt homo est lapis, ergo est corpus. Nam etsi lapis & homo connexa non sint, & idèò antecedens sit falsum: aliquid tamen habent commune, ratione cuius aliquid, quod cum lapide connexum est, homini quoque conuenit; & idèò verum est consequens. Quod si quidpiam accipiat lapidis proprium hominique repugnans, vt esse non sentiens, falsum quoque consequens colligetur. Tum verò propter dispositionem; vt homo est lapis: lapis est rationalis, homo igitur est rationalis. Ex falsis namque propositionibus bene dispositis verum colligitur. Colligitur etiam falsum; vt homo est lapis, lapis est accidens, homo igitur est accidens. Et idèò ex falso, tum ratione connexionis, tum ratione dispositionis, & verum & falsum licet colligere. Nam quod ad dispositionem attinet, eam vim habet bona dispositio, vt vbi cumque fuerit, in materia licet impossibili, ex se semper ostendat conclusionem necessariò sequi. Contra vitiosa dispositio nullam inferendi vim habet, etsi necessaria materia sit: sed si consequens est verum & admittendum, ex materia id habet, non ex dispositione aut deductione.

Quod autem ad connexionem spectat, cuita ratiocinationis ac dispositionis innitur vis pro illius varietate species ratiocinationis distinguuntur. Primum enim spectari potest connexionis qualitas; estque ferè triplex, necessaria, probabilis, apprensiva, quæ triplicem constituit ratiocinationis formam. Deinde considerari connexio potest; vt variae res variam habent connexionem, quæ variis propositionum dispositionibus representari potest: atque ita quatuor ratiocinationis existunt formæ. Nam prima connexio duorum est particularium sub eadem vniuersa natura, maximèque duorum speciei eiusdem indiuiduorum; propter quam connexionem id, quod vni attribuitur, potest & alteri attribui. Connexioni huic exemplum innitur; quod id, quod vni particulari conuenit, alteri quoque illi simili colligitur conuenire. Omnium mini-

2. ma connexio hæc est. Firmior altera, quæ omnium particularium est cum vniuersa natura. Huic inductio innitur; quæ ex indiuiduis omnibus cõmemoratis vniuersa colligitur propositio; huicque principio innitur; Quod singulis indiuiduis conuenit, omnibus item simul sumptis conuenit. Tertia connexio duorum est, quæ seipsis coniunguntur, vt effectus & causa, vel vt particulare & vniuersum. Quæ vt variæ connexiones esse possunt, ita variis principiis nititur: qualia sunt hæc: Posita causa ponitur effectus, Posito particulari ponitur vniuersum, & similia; quibus tertia constat ratiocinationis species, enthymema ex vna propositione aliam colligens; vt homo est animal, ergo est sentiens.
3. Quarta est connexio duorum per aliud tertium; vt quia effectus est cum sua causa coniunctus, si causa fuerit cum alio coniuncta, effectus quoque per causam dicitur cum illo coniunctus. Quæ item connexio cum diuersarum rerum esse possit, diuersis quoque principiis nititur. Atque hinc quarta exiit ratiocinationis species omnium perfectissima, in qua ex duabus propositionibus opportunè dispositis tertia deducitur, quæ conclusio vocatur. Proptereaque in primo libro de priori analysi cap. 1. definitur esse oratio, in qua quibusdam positis aliud quid à positis necessarid sequitur, eo quod hæc sint: vt homo est animal, animal est sentiens, homo igitur est sentiens. Ex duabus enim præmissis propositionibus tanquam veris, & figura modoque conuenienter dispositis, conclusio ab illis diuersa colligitur; præmissarum scilicet, & earum dispositionis virtute.

Conclusio an ratiocinationis pars.

Quo loco disputantur permularum ea, quæ colligitur, conclusio, ratiocinationis pars sit necne. Sed adhibenda distinctio est. Etenim si ratiocinatio sumatur, vt integram ratiocinantis intellectus operationem à cæteris distinctam significat; omnino illius pars est conclusio quoque. Quippè duas amplectitur partes; antecedentem & consequentem, præmissas & conclusionem, notum & ignotum, quod ex noto deducitur. Nam vt secunda operatio simplicibus duabus notionibus, attributi & subiecti, compositione seu copula iunctis constat; formaque est compositio seu copula, & materia simplices notiones aut termini: sic in tertia deductio est forma, & materia sunt antecedens & consequens, præmissæ & conclusio, notum atque ignotum, secundæque operationis compositiones, quarum vna ex aliis deducitur: hocque ratiocinatio significat, transitum ex vno ad aliud.

Sin autem ratiocinatio consideretur vt est quasi via & progressio ad ignotum aliquid inuestigandum, seu instrumentum cognoscendi, intellectusque ratiocinantis atque vnum ex alio colligentis; secus omnino sentiendum fuerit. Est enim quasi motus quidam ad conclusionem & instrumentum eam producens; conclusioque velut terminus motus & effectus causa ac instrumenti. Tribusque duntaxat terminis opportunè dispositis constat; quæ dispositio tota antecedentibus propositionibus continetur: quare & ratiocinationibus diuersis eadem colligi conclusio potest. Itaque duobus modis in tertia operatione ratiocinatio fuerit: tum vt deductionem

A significat vnius ex alio, quæ antecedente & consequente constat: tum vt sola est inuestigatio & motus ad inquirendam veritatem. Quæ inuestigatio & motus solis antecedentibus præmissis continetur. Atque hæc nunc peripateticis indicasse satis.

Digressio xxxii. De verbo mentis.

I Am verò in Scholis nostrorum Theologorum, qui considerant pleræque diligentius & subtilius disputant, magnopere quæri video.

B Num intellectus actione producatur quidpiam ab intellectu distinctum. Verbum enim mentis nominant omnes; sed quid illud sit, non omnes consentiunt. Aurelius testimonio Capreoli in primum sententiarum librum dist. 27. nil aliud esse voluit, quàm ipsum obiectum cognitum, vel vt apparet atque relucet in intellectu. Alij apud Durandum & Scotum ipsammet intellectilem speciem representantem obiectum. Sanctus Thomas tum prima parte summae, quæst. 27. & 34. tum in quæst. 4. de veritate & primo libro contra Gentes cap. 51. & lib. 4. cap. 11. & deinceps, & in commentariis ad primum caput Ioan. & alijs in locis, & post eum Egidius, Heruæus, Caietanus, Capreolus, & Ferrariensis, aliquid aliud velut intellectus terminum re ab ea distinctum; ceu illius partem, quo res intellecta representetur tanquam expressa illius imagine per intellectum producta.

Verbum mentis quid.

Sed omnium probabilissima sententia est nil aliud, quàm actualem intellectum seu notitiam, esse. Nam si obiectum ipsum esse dicatur, constat non esse secundum suum esse reale: vt autem cognitum est vel relucens, aut hoc nihil est, nisi vanum & fictum; aut aliud nihil, quàm obiectum ipsum intellectui obiecti. At hoc dici non debet verbum: tum quia verbum mentis quidpiam ab intellectu productum atque à dicente probatum significat: tum quia ad verbum spectat vt representatiuum sit rei; obiectumque illud representatiuum non est, sed representatum. Aut siquid aliud sit; vel species fuerit, vel aliquid intellectu productum, vel actualis ipsa notitia. Species esse non potest: tum quia tunc solum adest verbum, quando intellectus adest; species autem: licet nihil intelligas, vt in somno, adesse creditur: tum quia species intellectum & idem verbi quoque formationem antecedit. Vt species eas mittam, non ab omnibus suscipi, qui tamen verbum mentis admittunt. Non esse autem intellectu productum, omnis philosophorum schola docebit, quæ intellectum ostendit immanentem actionem esse, omni termino à se distincto carentem; vt in tex. 16. libri 9. Metaph. docuit Aristoteles. Quam ob causam nec sensum, nec voluntatem dicimus eiusmodi quidpiam agere producere. Etsi enim in intellectu & voluntate crebris actionibus habitus producatur, ex tamen velut dispositiones solum sunt antecedentes, determinationesque facultatis, quæ producit habitum. Deinde vt actio qualibet est idem re cum suo termino, sic intellectus est idem cum verbo, neque potest

Esse in intellectu actualem.

E